



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. An quis ex præsumptione vehementi de gravi crimine condemnari possit, & qualis probatio requiratur ad probandum, quod non est verosimile.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

cavisse Trident. omne Matrimonium annullans, quod in locis recepti Trident. non est contractum coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus.

## §. VI.

*An quis ex præsumptione vehementibus de gravi crimine condemnari possit, & qualis probatio requiratur ad probandum, quod non est verosimile?*

**E**X solis præsumptionibus etiam vehementibus non debet quis de gravi crimine condemnari, uti patet ex *c. Litteras 14. h. t.* quia in criminalibus requiruntur probationes indubitatae, & luce meridiana clariore, nisi tamen sint urgentissima præsumptiones, aut causa non tam gravis, ad quam juxta proportionem gravitatis vehementiores etiam, & graviores requiruntur, uti colligitur ex *s. 2. & 13. h. t.*

Ad probandum autem, quod non est verosimile, cum præsumptio juris pro hoc stet, quod verosimile est, non admittitur quælibet juris præsumptio, nisi communis loci fama, vel alia indicia, aut conjecturæ concurrant, & testes fortassis, qui contra verosimilem juris præsumptionem testantur, sint personæ valde honestæ, de quibus nulla est suspicio, quod sint corruptæ, aut pejeraturæ;

uti colligitur ex *c. Quia verosimile h. t.*

## §. VII.

*An, & quando Lex fundata in præsumptione obliget in foro conscientie, vel etiam in externo?*

**S**ciens præsumptionem, quæ contra se stat, quamvis hæc juris sit, uti juris & de jure, falsam esse, non tenetur foro conscientie ad legis aut sententiam in tali præsumptione fundatæ observationem, saltem ante sententiam Judicis (quæ præsumptio cedit veritati) nisi lex non tam in præsumptione fraudis, & actu intervenientis, sed in genere periculo fraudis fundetur, quamvis in hoc posteriore casu in particulari quo facta cesset fraus omnis, & non tamen cessat in genere periculum fraudis, quod movebat ad legem talem fundatam, uti videre est in matrimonio, quod destitit per Tridentinum irritato, sententiâ tamen & auctoritate Judicis appellari potest talis, quamvis pro se veritas habeat, contra se tamen juris præsumptionem, ad legis talis aut sententiæ contra ipsum latæ observationem, cum in externo sententiâ ex probatione procedat, & consequenter, si veritas probata non sit, probata autem sit præsumptio, non illi assistet Judex.

